

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Prooemium In Nomine Domini Nostri Jesu Christi.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

Resolutio t. 7. pr. *Res. Grav.* sive *Er. L. G.* d. An. 1609. rubr.
gravamen von Justitz-Sachen. gr. 5. Pol. Ordn. t. 8. §. 2.
 Dec. El. 2. Const. El. Nov. 1. In *Jure Saxonico*
Communi, Land-N. l. 1. art. 3. Leh-N. cap. 32.
 Weichb. art. 8. 129. In *Jure Canonico*. c. 1. d. 20.
 c. 2. XXX. q. 1. c. 3. d. pœnit. d. 5. c. 4. d. 2. d.
 consecr. cap. 18. X. de restam. c. 2. de pact. in 6.
 Clem. sape 2. d. verb. sign. In *Jure Feudali* II. f. 55.

PROOEMIUM.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI
 JESU CHRISTI.

IMPERATOR CÆSAR FLAVIUS JUSTI-
 NIANUS, ALEMANICUS, GOTHICUS,
 FRANCICUS, GERMANICUS, ANTI-
 CUS, ALANICUS, VANDALICUS, AFRI-
 CANUS, PIUS, FELIX, INCLYTUS, VI-
 CTOR AC TRIUMPHATOR, SEMPER
 AUGUSTUS, cupidæ legum juventuti.

De usu armorum & legum.

Imperatoriam majestatem non solum armis
 decoratam, sed etiam Legibus oportet esse
 armatam: ut utrumque tempus, & bellorum
 & pacis, recte possit gubernari: & Princeps
 Romanus non solum in hostilibus præliis vi-
 ctor existat, sed etiam per legitimos tramites ca-
 lumniantium iniquitates expellat: & fiat tam juris
 religiosissimus, quam victis hostibus triumphator
 (magnificus.)

De bellis & legibus Justiniani.

I. Quorum utramque viam cum summis vigi-
 liis,

liis, summaque providentia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros barbaricæ gentes sub juga nostrâ redactæ cognoscunt: & tam Africa, quam aliæ numerosæ provinciæ, post tanta temporum spatia, nostris victoriis a cœlesti Numine præstitis, iterum ditioni Romanæ nostroque additæ Imperio, protestantur. Omnes vero populi Legibus tam a nobis promulgatis, quam compositis reguntur.

De compositione Codicis & Pandectarum.

2. Et cum sacratissimas Constitutiones, antez confusas in luculentam ereximus consonantiam, tunc nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina, & opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, cœlesti favore jam adimplevimus.

De tempore, auctoribus, fide, & utilitate compositionis Institutionum.

3. Cumque hoc, Deo propitio, peractum est, Triboniano Viro magifico, Magistro, & Exquæstore sacri palatii nostri, & Exconsule, nec non Theophilo & Dorotheo, Viris illustribus, & Antecessoribus nostris (quorum omnium solertiam & legum scientiam, & circa nostras jussiones fidem, jam ex multis rerum argumentis accepimus) convocatis, mandavimus specialiter, ut nostra auctoritate, nostrisque suasionibus, *Institutiones* componerent: ut liceat vobis *prima Legum cunabula* non ab antiquis fabulis discere, sed ab Imperiali splendore appetere, & tam aures, quam animi vestri nihil inutile, nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerum obtinet argumentis, accipiant. Et quod priore tempore vix post quadriennium prioribus continebat, ut tunc Constitutiones Imperatorias legerent, hoc vos a primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantaque reperti felicitate, ut ini-



tium vobis & finis Legum eruditionis a voce Principali procedat.

Divisio Institutionum post ff. collectarum.

4. Igitur post libros quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, in quibus omne Jus antiquum collectum est, quos per eundem virum excelsum Tribonianum, nec non ceteros viros illustres & facundissimos confecimus, *in quatuor libros easdem Institutiones* partiri iussimus, *ut sint totius legitimæ Scientiæ prima elementa.*

Quid in Institutionibus contineatur?

5. In quibus breviter expositum est, & quod *antea* obtinebat, & quod *postea* defuetudine inumbratum, Imperiali remedio illuminatum est.

Ex quibus libris compositæ sint Institutiones, atque earum recognitio, & confirmatio.

6. Quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, & præcipue ex commentariis Caji nostri, tam institutionum, quam rerum quotidianarum, aliisque multis Commentariis compositas, cum tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt, & legimus, & cognovimus, & plenissimum nostrarum Constitutionum robur eis accommodavimus.

Adhortatio ad studium Juris.

7. Summa itaque ope & alacri studio has Leges nostras accipite, & vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Rempublicam in partibus ejus vobis credendis gubernari. D. CP. XI. Kalend. Dec. D. JUSTINIANO PP. A. III. CONS.

I. Pro-



I.

Prooemium Institutionum complectitur I. In-
scriptionem. II. Constitutionem. Inscriptio
continet 1. Invocationem Nominis Divini. *fac.*
Nov. 109. præfat. (a) Ea hodieque in Instru-
mentis Notariorum non est omittenda. *R. J. d.*
A. 1512. Ordn. der Notarien. § 3. verb. nach An-
ruffung des Göttlichen Namens. 2. *Auctorem*
Operis Justinianum Imperatorem, cujus recense-
tur Titulus respiciens partim ad Imperatorem
ipsum, partim ad res ab eodem gestas gerendas-
que. Additamentum *semper Augusti* hodie ad
officium in augendo Imperio consistens refer-
tur; unde Imper. dicitur: *Allezeit Mehrer des*
Reichs. v. Cap. Leop. pr. j. art. 12. 3. *Dedica-*
tionem cupida Legum Juventuti factam.

II. Prooemii Institutionum Constitutio sistit
I. *Officium Imperatoris.* II. *Compilationem Ju-*
ris. III. *Adhortationem.* *Officium Imper.* re-
spicit *in Thesi*, Curam Armorum & Legum, *Pr. Pr. I. h.*
J. h. j. L. 4. C. d. legib. (b) in Hypothesi, i. e.
Applicatione ad Justinianum, qui inclaruit tam
Victoriis quam Legum promulgatione & com-
positione. *§. 1. J. h.* *§. 1. I. h.*

III. Compilationis intuitu considerari me-
retur *Juris Justiniani* I. *Origo.* II. *Composi-*
tio. *Origo* repetenda ex *Statu Regio*, ubi per

(a) *Deus debet esse Legislationis principium, medium*
& terminus. Nov. 109. in præfat.

(b) *Digna vox est majestate Regnantis, legibus alliga-*
tum se Principem profiteri. L. 4. C. d. Leg.

feriem 7. Regum & Annos 244. manu ipsorum omnia gubernata sunt, l. 2. §. 1. ff. d. O. J. Legesque latae a Sexto Papyrio congestae. l. 2. §. 2. ff. eod. In *Statu Populari* Epocha alia fuit *Juris Incerti*, per 60. fere annos. *Certi* conditis Leg. XII. Tabb. A. V. C. 305. j. l. 2. §. 4. ff. d. O. J. *Aucti* per 1.) Interpretationem Prudentum. l. 2. §. 5. ff. d. O. J. 2.) Legis actiones. l. 2. §. 6. ff. eod. &c. In *Statu Monarchico*, Epocha *prima* fuit *Gentilium Impp.* usque ad *Constantinum M. s. A. 306*: *Secunda*, a *Constantino Imp.* usque ad *Theodosium Juniolem*, conditorem *Codicis Theodosiani*: *Tertia* sequentium *Impp.* usque ad *Justinianum s. A. 527*.

IV. Justiniani Juris compositionem si spectes, prodierunt libri Justiniani hoc ordine: §. 1. h. *Liber* 1.) *Codicis Justiniani*, de quo §. II. h. loquitur A. 529. 2.) *Institutionum*, A. 533. Mens. Nov. 3.) *Pandectarum*, A. 533. Mens. Dec. j. §. 2. J. h. 4.) *Codicis repetitae prælectionis*. A. 534. Hos secuta sunt *Novellarum Constitutiones*.

V. In specie *Institutionum* commemoratur: 1.) *Numerus Compilatorum*. 2.) *Compilationis fructus*. 3.) *Compositio*. 4.) *Materia*. 5.) *Confirmatio*. 1.) *Numerus Compilatorum* est ternarius, consistens in *Triboniano*, *Theophilo*, & *Dorotheo*. §. 3. I. h. §. III. J. h. 2.) *Compilationis fructus*, utilitas scilicet, perita ab *Auctoritate Constituentis*. *Imperatoriae* enim sunt *Institutiones*, non *JCtorum*, & facilitate apprehensionis, ob inutilia eliminata & facultatem *Constitutiones Impp.* non,

non, ut olim, post quadriennium, *Const. Omnem, §. 2. seq. De Ration. & Method. Jur. Doc. ad Antecess.* sed ab initio legendi. *§. III. b.* In constituendis Camerae Imp. Assessoribus, vice quinquennalis studii in Academiis desiderati, *Ord. Cam. d. A. 1555. P. 1. t. 3. §. 2.* personarum eruditio & habilitas considerari iussa, *R. J. d. A. 1654. §. 28.* quod in Advocatis quoque plerisque in locis attenditur. *v. l. II. §. 1. C. d. adv. div. judic. O. P. S. T. 3. §. besonders. j. Mand. El. d. A. 1691. §. 8. 3.) Institutionum Compositio*, absolutis Pandectis facta, *d. §. III, J. §. IV. b.* & divisio in 4. Libros. *§. IV. J. b.* 4) *Materia*, circa quam versantur Institutiones, est Jus vetus & novum: *§. V. J. b. pr. J. de Usuc. it. §. 5. J. d. §. 5. I. h. exhered. liber.* Materia autem ex qua sunt Institutiones antiquorum Juris, praecipueque Commentarii Caji. *§. VI. J. b.* 5.) *Confirmatio* *§. 6. I. h.* Instit. quippe ex qua eadem auctoritatem Juris habere coeperunt. *d. §. VI. Const. 2. §. II. C. d. V. J. E. j. L. fin. §. 1. C. d. leg. (c) & §. 27. J. d. legat.*

VI. III. *Pars Constitutionis est Adhortatio* ad Legum studiosos directa, quorum Industriam acuit spes Ernditionis & Reipubl. aliquando gubernandae. *§. VII. b j. Auth. Habita. C. Ne filius §. 7. I. h. pro patre.* Huic addita est subscriptio: Data Constantinopoli XI. Calendas Decembris (i. e. d. 21. Nov.) Domino Justiniano Perpetuo Augusto tertium Consule. (A. 533.)

(c) *Leges condere soli Majestati concessum est. L. f. §. 1. C. de Leg.*

LIB.



seq. 5.) Capitulationes Imperatoriæ a Carolo V. ad Carolum VI. 6.) Instrumentum Pacis Osnabrugensis & Monasteriensis *d. A. 1648.* *Privatum*, quod Principaliter ad *Privatorum Utilitatem* pertinet. Hoc præcipue *collectum* est *ex Præceptis Naturalibus*, *v. §. 3. J. b. Gentium*, *l. 5. ff. de J. & J. §. 2. J. d. J. N. G. & C. & Civilibus §. IV. J. b. v. §. 3. J. d. test. ord. l. 21. C. d. testam.*

TIT. II.

De Jure Naturali, Gentium
& Civili.

Juris naturalis 1.) *Descriptio.* 2.) *Subjectum.*
3.) *Effectus.*

*Ex Ulp. l. 1.
n. §. 3. ff.
d. J. & J.*

JUS naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam Jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos Matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim cetera quoque animalia istius Juris peritia censeari.

Distinctio Juris gentium & civilis 1.) *a personis hoc jure utentibus. hinc utriusque Juris Descriptio*
Realis & Nominalis.

1.) Jus autem civile a jure Gentium distinguitur: quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum Jure utuntur. Nam *quod quisque populus ipse sibi Jus constituit*, id ipsius civitatis proprium est, vocaturque Jus civile, quasi Jus proprium ipsius